

XXVII

AD GALATEAM

Strophe Sapphica

Impiōs parrae recinentis ōmen
Dūcat, et praegnāns canis, aut ab agrō
Rāva dēcurrēns lupa Lānuvīnō,
Fētaque vulpēs ;

Rumpat et serpēns iter īnstitutum,
Sī per oblīquum similis sagittae
Terruit mannōs. Ego quid timēbō
Prōvidus auspex ?

Antequam stantēs repetat palūdēs
Imbrium dīvīna avis imminentum,
Ōscinem corvum prece suscitābō
Sōlis ab ortū.

Sīs licet fēlix, ubicumque māvīs,
Et memor nostrī, Galatēa, vīvās :
Tēque nec laevus vetat ire pīcus,
Nec vaga cornīx.

Sed vidēs quantō trepidet tumultū
Prōnus Ōrīōn : ego quid sit āter
Hadriae, nōvī, sinus, et quid albus
Peccet Iāpyx.

Hostium uxōrēs puerīque caecōs
Sentiant mōtūs orientis Austrī, et
Æquoris nigrī fremitum, et tremētēs
Verbere rīpās.

Sīc et Eurōpē niveum dolōsō
Crēdidit taurō latus, et scatentem
Bēluīs pontum mediāsque fraudēs
Palluit audāx.

Nūper in prātīs studiōsa flōrum, et
Dēbitae Nymphīs opifex corōnae,
Nocte sublūstrī nihil astra praeter
Vīdit et undās :

Quae simul centum tetigit potentem
Oppidīs Crētēn : ‘Pater, ō relictum
Fīliae nōmen, pietāsque’, dīxit
‘Victa furōre !

Vnde ? Quō vēnī ? Levis ūna mors est
Virginum culpa. Vigilānsne plōrō
turpe commissum ? An vitīis carentem
Lūdit imāgō

Vāna, quae portā fugiēns eburnā
Somnium dūcit ? Meliusne flūctūs
Īre per longōs fuit, an recentēs
Carpere flōrēs ?

Sī quis infāmem mihi nunc iuencum
Dēdat irātae, lacerāre ferrō et
Frangere ēnītar modo multum amātī
Cornua mōnstrī.

Impudēns līquī patriōs Penātēs ;
Impudēns Orcum moror. Ō deōrum
Sī quis haec audīs, utinam inter errem
Nūda leōnēs !

Antequam turpis maciēs decentēs
Occupet mālās, teneraeque sūcus
Dēfluat praedae, speciōsa quaerō
Pāscere tigrēs.’

‘Vīlis Eurōpē’, pater urget absēns :
‘Quid morī cessās ? Potes hāc ab ornō
Pendulum zōnā bene tē secūtā ē-
Līdere collum.

Sīve tē rūpēs et acūta lētō
Saxa dēlectant ; age, tē procellae
Crēde vēlōcī ; nisi erīle māvīs
Carpere pēnsū,

Rēgius sanguis, dominaeque trādī
Barbarae paelex.’ Aderat querentī
Perfidum rīdēns Venus, et remissō
Fīlius arcū.

Mox, ubī lūsit satis : ‘Abstinētō’,
Dīxit, ‘īrārū calidaeque rīxae,
Cum tibi invīsus laceranda reddet
Cornua taurus.

Vxor invictī Iovis esse nescīs,
Mitte singultūs ; bene ferre magnam
Disce fortunam : tua sectus orbis
Nōmina dūcet.